



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelia Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 5. Religio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

312 DE MAGNO REGNO HVNGARIÆ,
aliter coquebant quām inter ephippia equorum suorum discurrentium. Domos non sine timore subibant, & incolebant montes, & sylvas: vili telâ, aut pellibus tegebantur, nec vnquam deponebant vestes, nisi frustatim deciderent. In equis optimè pugnabant, vix insistebant pedibus, ob calceos malè formatos, & concinnotos. Regibus olim nullis parebant, sed Principibus, quos feligebant. Perfidi, crudeles, omnibus vitiis dediti, sed maximè ebrietati. Falsis accusationibus præcipitos tollebant è medio, & magnâ ex parte otiosi viuebant.

In præsentia verò bellicosi sunt omnes Hungari, sed parùm fideles, & ex æquo Turcis & Christianis infensi: sed Germanos ferre non possunt, quibuscum numquam conueniunt. Otio deditissimi Hungari, tam viri quām fæminæ: intemperantiùs cibis indulgent, quare secum famem dicuntur inferre, & famæ Hungarica abiit in Prouerbium. Inter nobiles matrimonia contrahuntur, dum adhuc in cunis vagiunt, quibus postea non acquiescere grande nefas, & piandum morte.

N V M. 5. Religio.

IN Hungariam omnium hæreſeon fæces confluxeré. Lutherani, Caluinistæ, Arriani, Trinitarij, & qui non? Nobiles tamen plerique Catholicam fidem profitentur, maximè operâ Societatis nostræ, quæ hīc egregiam nauat operam. Augetur & Turcarum numerus in dies, itēmque Iudæorum, quibus indicibus, & speculatoribus vtuntur Mahumetani. Per S. Stephanum accepere fidem quenam tñm indigerant. Quām diues fuerit hīc Ecclesia, colligitur ex Sigismundo Chanzario Episcopo Quinquecclesiensi, qui ex congeſto theſauro potuit exercitum alere.

N V M. 6. Pol. sit.

REGVM Hungarianorum series in 8. familias digesta vbiq[ue] legi potest. Nunc Austriacæ familiæ ex parte paret, ex parte sed maiore Ottomano. Austriacus ex ditione suâ colligit 200. ducatorum millia, Turca vix vnde militibus suis stipendium numeret. Transylvanus quoque aliquam partem Hungariæ carpit. Militia hīc duplex, peditum quos vocant Gialog, nos Hidouques; & equitum quos dicunt Louag, nos Houffartz: hi dorso suo affigunt alas ad celeritatem, cùm in eas se ventus insinuat. Olim Rex educebat 50. equitum millia, nunc Austrius vix decem millia, Bassa Bu-